

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Resurrectio z  
cum fontibus proximo et primis

Quia in paradiso mulier propinavit uiro mortem,  
a sepulcro mulier uiris annunciat uitam,

Quia enim in paradiso mulier uiro propinavit mortem,  
a sepulcro mulier uiris annunciat uitam,  
et dicta sui uiuificatoris narrat,  
quae mortifera serpentis uerba narrauerat,  
ac si humano generi non uerbis Dominus, sed rebus dicat:  
De qua manu uobis inlatus est potus mortis,  
de ipsa suscipite poculum uitae.

Rabanus Maurus, *Expositio in Mattheum*, 8 (CCCM 174A,  
B. Löfstedt ed., p.778, ll.36-41).

ut sicut occasionis sexus muliebris fuit introductio mortis,

ita hic ex pietate sexus muliebris nunciatio uite ut

que uiro transfuderat culpam, transfundet et gratiam.

Rabanus super illud Matthei ultimo:  
Ite nunciate fratribus meis.

Quia enim in paradiso mulier uiro propinavit mortem,  
a sepulcro mulier uiris annunciat uitam,  
et dicta sui uiuificatoris narrat,  
quae mortiferi serpentis uerba narrauerat.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 2.25.6  
(CCSL 141, R. Étaix ed., p.212, ll.206-209).

Sicut enim in principio mulier auctor culpae uiro fuit,  
uir exsecutor erroris,  
ita nunc quae mortem prior gustauerat  
resurrectionem prior uidit culpae ordine remedio prior.  
Et ne perpetui reatus aput uiros obprobrium sustineret,  
quae culpam uiro transfuderat, transfudit et gratiam  
ueterisque lapsus compensat aerumnam resurrectionis indicio.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio euangelii secundum  
Lucam*, 10.156 (CCSL 14, M. Adriaen & P.A. Ballerini eds.,  
p.390, ll.1472-1478).